hypothesi vt b h. ad g. sic a b. ad b k. igitur per primã propositi-
onem lib. vi. ele. Eu. quadratus ipsius a b. ad rectangulũ a b k l.
existit vt b h. ad g. Igitur solidum parallelepipedum cuius ba-
sis æqualis quadrato a b. altitudo vero æqualis ipsi g. par est so
lido cuius basis rectangulũ a b k l. altitudo vero ipsi b h. æqua-
lis per propo. xxxiiii. lib. xi. ele. bases enim ipsis fastigiis sunt
reciprocæ. Et quia duorũ parallelogrammorum a b k l. & b m t c.
latera per constructionẽ, sunt reciproca iuxta eundem cõmu-
nemque angulũ a b m. constituta. igitur per propo. xiiii. li. vi. ele.
Eu. eadem parallelogramma a b k l. c b m t. sunt æqualia. Duo
igitur solida quorum bases sunt parallelogrãma a b k l. c b m t. al
titudines autem ipsi b h. ęquales paria sunt per propo. xxxi. li.
xi. ele. Igitur ex cõmuni sententia. Quæ vni sunt æqualia &c.
Solidum parallelepipedũ cuius basis c b m t. altitudo vero ipsi
b h. æqualis æquatur solido parallelepipedo cuius basis qua-
dratus ipsius a b. fastigiũ autem ipsi g. æquale. Præterea. Quia
duo parallelogrãma b h m n. & o r h s. compræhendunt actis
ab hiperbole m o p. ad non coincidentes b h. h s. rectis lineis.
igit per vltimũ elementũ conicũ duo parallelogrãma b h m n.
& o r h s. sunt æqualia. Et quia per propositionẽ xvi. li. vi. el. Eu.
Si sub extremis compræhensum rectangulũ &c. Igitur vt b h.
ad h r. sic r o. ad b m. At ex hypothesi atque per propo. primã li.
vi. ele. Eu. vt o r. ad b m. sic parallelogrammũ o r u x. ad c b m t.
parallelogrammũ. Igitur solidum parallelepipedũ cuius basis
o r u x. parallelogrammũ fastigiũ autẽ h r. æquatur solido cuius
basis c b m t. altitudo autem b h. Atqui per quintũ elementũ co
nicum quadratus ipsius b r. æquatur parallelogrammo o r u x.
Igitur solidum cuius basis quadratus ipsius b r. fastigiũ autem
r h. æquabitur solido cuius basis c b m t. altiudo autem b h. Cui
quidem solido ostensum est esse æquale solidũ cuius basis qua-
dratus ipsius a b. altitudo autem g. Ex cõmuni igitur sententia.
Quæ vni sunt æqualia &c. Solidũ cuius basis quadratus b r. fa
stigium autẽ r h. æquabitur solido cuius basis quadratus ipsius
a b. altitudo vero g. Et quoniã per propo. vii. li. v. ele. vna mag
nitudo ad easdem eandem habet rationẽ. Igitur solidum paral-